

1496 onerariis consensis navibus, oppido tradito, non multis ante brumam diebus sunt profecti. Accidit autem ut na-vis ea in qua erat Cajetæ magistratus cum militibus tre-centis, magno adverso impellente vento Terracinae injecta littori cum vectoribus perierit. Tarentini vero qui ad eam diem Gallorum fidem secuti, in magna rerum omnium inopia, magnisque in difficultatibus versabantur, Cæsare Ferdinandi fratre notho & terrestribus obsidente oppidum copiis, & mari navibus longis tribus commeatus importari prohibente: præsertim, quod si quid antea in villis aut frumenti, aut pabuli circa oppidum fuerat, eo ne hostes potirentur, tectis incensis corruperant ipsi: Fer-dinandi morte cognita, concilio coacto quid agendum fibi esset, inter se quærebant. Ea re longis disceptationi-bus agitata, ac tribus dictis sententiis, una ut Federico, altera ut regi Turcarum, tertia ut Venetæ reipublicæ oppidum traderent, legem tandem magno studio tule-runt, ut Senatus fidei & pietati se se committerent. ita-que insigni reipublicæ sublato, literas ad Aloisium Lau-redanum præfectum Monopolitanorum dederunt, orantes uti se reciperet. Literæ Aloisii ea de re ad Senatum perlatæ alteroque post eas literas die legati Tarentinorum cum eisdem mandatis Venetas advecti, ejus rei expecta-tione civitatem erexerunt. atque illis quidem hospitium publice datum est. Patres vocati complures dies sententiis dicendis consumperunt: quarum pars non esse Tarenti-nos recipiendos; propterea quod in fœdere caput erat, ne deditios rege non permittente civitas acciperet: pars recipiendos censebant, ne obstinati in Neapolitanos reges animis Tarentini regi Turcarum se se dederent: quod si fieret, non illis modo nationibus, Federicoque in primis, sed toti etiam Italiæ perniciosum futurum. Nullum Se-natui cum Federico fœdus Ferdinando mortuo: quod si tamen si esset, præstare id uno in capite negligi, quam permittere oppidum natura munitissimum, atque ad exer-citus in Italiam transportandos, classesque continendas opportunissimum, inimico Italis omnibus regi atque bellico-